MICHAELIS SCAVO
PANORMITANI
S. T. DOCTORIS

Inter Pastores Hereinos

ERGISTI BELSINI
DISSERTATIO

HISTORICO-DOGMATICA

DE SUBJECTIONE SICILIÆ
PATRIARCHÆ ROMANO;

Habita in Academia Bonigustus

Pridie Kalendas Decembris

MDCCXXXIII.

PANORMI CIϽIϽCCXXXVII.

Excudebat Stephanus Amato.

Superiorum permissu.

PRÆSTANTISSIMO VIRO

D. ALONSO

FERNANDEZ DE MEDRANO

Sanctæ Metropolitanæ Ecclesiæ Panormitanæ Cantori, Thesaurario, Judici, & Examinatori Synodali, SS. Cruciatæ Commissario, &c.

MICHAEL SCAVO.
S. P. D.

ANtiquissimum apud universas ferè, cultioribus litteris deditas gentes, morem invaluisse, Viris genere præclarissimis, rebusque gestis æternam promerentibus famam, Volumina nuncupari, etsi cætera deessent, quibus ostenderetur, Pla-

tonicus ille Aristides docet, tales eis debitos honores prædicans, ut Templa Diis. Porrò cum Hæroes, Deosque, Gentilitatis tenebris obsitæ nationes, vel similes exsistimarint, vel pari fecerint conditione; utrisque æternitatis laudes legibus, atque sapientissimorum hominum testimonio probarunt. Id ubi sedulò quis animadverterit, atque ad nostra usque tempora traductum morem dignoverit, eo me consilio Dissertationem hanc nomini tuo consecrasse judicabit, ut quam apud bonos quosque gloriam es assecutus, nullâ temporis longinquitate deleatur, & veluti perennis evadat: Sive enim generis tui claritatem quisque requirat, eam tibi longè maximam contigisse perspiciet: Originem enim ex Toparchis Hispaniæ trahis, Marchionibus Monpelerii, & Chiappariæ Baronibus; (a) *illumque sortitus es*

[a] Mongitore in Bibliot. Sic. tom. 1. fol. 379. col. 1.

es eximiæ indolis Parentem, qui omnium animos in sui obsequium excitavit, maximam Proregum Siciliæ extimationem expertus est, aliosque omnes, quibus Sicula Jurisprudentia præstat, honores adeptus, in Magnæ Regiæ Curiæ Senatu Præses, (dignitas equidem summæ proxima) cunctis plaudentibus Siculis, litteratis præsertim, quibus benignissimè semper favit, fuit proclamatus. Sive te ipsum, nullâ generis ratione habitâ; cuinam ignotæ virtutes tuæ Charitas nempe, qua defunctorum amicorum consanguineis, inopiâ pressis, alimenta suppeditasti; Modestia, qua summos oblatos honores aspernatus es, Benignitas item, cujus legibus, Præclarissimo Parenti similis, omnium animos tibi addictos reddidisti; aliæ demum, quæ, cum eniteant ipsæ per se, nullius oratione ornari, aut clarescere postulant? Jure propterea, non ut alterius gratiam quæreret, quod nunquam ingenuissimo Historico

contigit, *Clar. Mongitore* (a) *te* genere, virtutibus, aliisque animi dotibus clarum *expressit*. *Quamquam verò si mea hæc fuisset sententia, ut nulla de tuis laudibus posteritas conticesceret, assentationis evaderem culpam; aliæ tamen me rationes impulerunt, ut parvum laboris mei fructum tui nominis commendatione ornatum voluerim. Siculæ Ecclesiæ nitorem, dignitatemque ab Eruditorum oppositionibus vindicare, sin minus evidenter, at verisimiliter tamen, hujusce meæ Dissertationis est scopus. At quinam studio huic nostro, atque operæ Patronus erat quærendus, quàm qui primariâ post Archiepiscopalem dignitate honestatur, atque præfulget? Tua deinde caussa tuetur, Ecclesiæ tuæ erga Romanum Patriarcham obsequium, fidelitas, constantia: Quæ enim melioris notæ Historici monumenta, oppidò non contem-*

[*a*] In Addit. ad Rocchum Pirri to. 1. fol. 179. col. 1.

temnendà, edidere, ut Panormitanam nostram Principem Ecclesiam præ cæteris totius Insulæ clarissimis Civitatibus ab adversantium macula immunem ostenderent, eâ qua potui diligentiâ, in unum congessi. Itaque tuum erit ex abdito in conspectum, lucemque hominum opellam, re miseram, voluntate erga Siciliam, erga Patriam, plusquàm mediocrem, auctoritate tuâ trahere, patrocinio tegere, tueri.

Panormi pridie Nonas Martii MDCCXXXVII.

AD

AD LECTOREM
PRÆFATIO.

QUantùm humano generi æmolumenti Hiſtoria conferat, quæ apud Veteres Sapientię parens, lux veritatis, vitæ magiſtra paſſim audit; quàmque illa præſertim, quæ vulgò Sacra nuncupatur, Theologo neceſſaria ſit, ut Sacroſanctæ Catholicæ Eccleſiæ ritus, conſtitutiones, dogmata clariùs intelligat, atque propugnet; cum omnes optimè norint, qui ſolidioribus ſcientiis diligentem operam navant; tum maximè Sapientiſſimus Melchior Cano integro libro undecimo de locis theologicis commendabili eruditione demonſtrat: Hæc cum ſedulò perpenderem, Theologicis, Legumque ſtudiis expletis, ſumma inceſſit animo cupiditas, Fidei noſtræ annalia, perſecutiones, incrementa, pacem redditam perlegere, atque ſcrutari.

Fa-

Fateor ingenuè rem aggressus fui laboris, & difficultatis undique plenam. Quare tametsi ab incepto desistere rei magnitudo monuisset; Verulamii [a] tamen auctoritate commotus, qui in arduis rebus, si in summo consistere non valeamus, in secundo tamen, imò vel in tertio, pedem figere suadet, quod arripueram iter, quoad exiguæ Ingenii mei vires suppetere poterant, prosequi conatus sum. Stimulos addidit congressus ille doctissimus, qui bis singulis mensibus apud Comitem Petrum Filingeri Principem Sanctæ Flaviæ convocatur: Cum enim difficiliora Sacræ-Siculæ Historiæ puncta, ordine quæque suo, eruditissimi Viri in examen deducere sanciverint; eaque vel omnia, vel saltem plura Sacræ generali historiæ multis vinculis nectantur;

(a) *De Dignit. & augmentis Scient. lib.* 8. *cap.* 2. *fol.* 233. *Edit. Lipsiæ.*

tur; & aliorum ſtudiis non parùm proficere poſſe cognovi, & eorum exemplis adhærens, quod animo conceperam, ſuſceptam ſemel Provinciam conſtanter tenui. Interea graviſſimæ illius difficultatis inquiſitio: An Sicilia Romano ſemper Patriarchæ paruerit?, mihi demandatur. Parui lubens; at re maturè perpensâ, Siculos, exteroſque hiſtoricos invicem diſſidentes reperi. Cumque rem intra certitudinis terminos concludere haud fuit permiſſum, rationibus ex utraque parte occurrentibus, ad Criticæ artis regulas confugi. Etenim verò, ni me mea fallat opinio, ipsâ, veluti in tenebris accensâ face præeunte, implicatiſſimos evadere labyrinthos, omni, qua potui, diligentiâ adniſus ſum; potiſſimùm quòd fixum cordi erat, & Hiſtoriæ leges, & Patriæ cariſſimæ ſplendorem omninò indiminuta ſervare. Conatus habuit Academia noſtros, pro ſingulari, qua alumnos ſuos benigni-

tate

tate prosequitur, acceptissimos, utque typis Dissertatio traderetur, admonuit. En candidam, ingenuamque editionis occasionem. Morosiorem oculorum, quàm aurium censuram cognoscentes, hominumque judicia, ut nostræ convenit imbecillitati, reformidantes, labores nostros in publicum prodire nunquam fueramus permissuri, ni florentissimæ Academiæ approbationis calculus accessisset. Cæterùm quæcumque fuerit industria mea, quam sanè sentio, quàm tenuis, & misera illa sit, id te Lector enixè rogo, obtestorque, ut si testimonia rem feliciùs explicantia præ manibus habeas, amicè admonens, adducere ne verearis: *Non enim*, ut Sancti Patris Augustini verbis utar, [a] *de captanda gloria, sed de invenienda veritate tractamus*. Utinam Siculi Juvenes, scholastico studio persoluto, ad Siculam illustrandam historiam

---

(a) *Lib.* 3. *cap.* 14. *contra Academic.*

riam ſe inducant! Utinam quiſque Patriæ ſuæ privilegia ad Critices lancem appendat! Utinam feraciſſima Panormitana Ingenia Principis Eccleſiæ ſuæ jura, documenta, dignitatem exornent, tueantur! Nil exteris quibuſque gentibus invideremus. Vale.

DE SUBJECTIONE
SICILIÆ
PATRIARCHÆ ROMANO.

DISSERTATIO.

CUM primùm me vestris obtemperare mandatis debere cognovi, (Clar. Academici) quibus grave tenuissimæ industriæ meæ onus imponebatur, de obscura, & perdifficili illa apud Historicos quæstione: fuerit ne Sicula Ecclesia Romano semper Patriarchæ subjecta ?, in hac florentissima Academia, omnique Scientiarum genere præclarissimis viris ornatissimâ, brevi oratione judicium ferre; verum fateor, tantâ animi perturbatione com-

motus fui, ut quid decernere debuissem, prorsùs ignoraverim. Dubitabam enim, nec levi mentis hæsitatione premebar, tantæ rei examen aut Vobis, aut Siciliæ injuriam allaturum. Et Vobis primò, qui supra populi ignaviam erecti, & solidioris Critices regulis imbuti, Romanæ eloquentiæ Principis documentum mihi indicastis: [a] *Primam esse historiæ legem, ne quid falsi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat, ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, ne qua simultatis.* Quibus equidem præceptis, Historiam profitenti non peropportunis dumtaxat, sed & omnino necessariis, illorum impudentiam à me damnandam apertè significastis, qui Patriæ amori nimiùm indulgentes, vel fucatas, commentitiasque laudes ei attribuere contendunt, vel quæ ejusdem sunt scelera, turpi silentio obvolvunt. Siciliæ deinde, cujus cum in principe loco, Divino favente Numine, ortum habuerim, summopere displiceret, si, quæ ab aliis probra ipsi impinguntur, patefacere, atque testimonio meo probare, cogendus es-

Historiæ leges.

Patriæ amor veritati officere non debet.

(a) *Cic. lib.* 2. *de Oratore.*

essem; præsertim quòd sapientissimorum Hominum judicium memoriâ teneam, liberum esse Patriæ cives suos ab ejus seu sceleribus, seu maculis posteritati tradendis prohibere. [a] Hæc cum animo obversarentur, inque syrtes, & scopulos invehi, atque inferri cogitarem, occurrit Puffendorfii auctoritas, qua tot difficultatum ambagibus sublevarer. Eruditissimus Auctor in suo de obligatione adversùs Patriam libello, quod Historicus tam veritati, quàm Patriæ debeat, summâ, qua præditus est, doctrinâ perpendens, post multa concludit: *quòd si contigerit facta in medium proferre, proculdubio improba, impudens fuerit eadem velle defendere*. At mox subdit: *si quæ tamen probabilis suppetat excusatio, eam afferri nihil prohibet; præsertim si non Advocati personam induerit, sed quæ Alii in utramque partem disputaverint, referat*. [b] Sanè verò quamquam apud plerosque, de supraposita disputatione

Quas Resp. historico Civi leges præscribere valeat.

Pro Patriæ criminibus probabiles excusationes adducere, conveniens.

(a) *Puffendorfius de obligat. adversùs Patriam* §. 32. *fol. mihi* 41. *Edit. Eidelbergæ* 1660.
(b) *Loc. cit. fol.* 42.

An Sicilia Const. Patriarchę paruerit, incertum.

ne differentes, opinio invaluerit, Siciliam aliquando à Romano Patriarcha defecisse; (quod quidem si perfectum, absolutumque schisma non redolet; multam ex Bellarmino, [a] & Valentia [b] præsefert deformitatem); Ea nihilominus nec certitudinis terminos attingit; plerique magni nominis Historici gravibus eidem argumentis obsistunt; postremò, si ipsis credendum est, quoad aliquas saltem Civitates funditùs evellitur. Itaque operæ pretium me facturum arbitror, si in utramque partem oculos referens, Historiæ simul, & Patriæ consulere pro viribus conabor; idque tum demum me adamussim explevisse confido, si ambarum sententiarum rationibus brevî relatis, excusationes etiam, validiori auctoritatis, & rationis ponderi innixas, quæ tam illustri Insulæ, Romanum Primatum omnibus semper officii obsequiis prosecutæ, favere possunt, adduxerim.

II. Priusquàm tamen unius, aut alterius opinionis argumenta proferan-

(2) *Lib. 3. de Ecclesia cap. 5.*

(b) *In Comment. Theol. 22. disp. 3. q. 15. p. 1.*

rantur, ut omnia ad cognoſcendum clara, atque illuſtria in aperto ſint, aliqua conſtituere juvabit. Principiò Pontificem Romanum, Chriſti Vicarium, Petri Succeſſorem, & totius univerſalis Eccleſiæ viſibile caput, non ſingularem eſſe totius Catholici gregis Patriarcham, primariam licèt inter omnes excellentiæ dignitatem obtineat. Nec ob id tamen diviſam Eccleſiam Hæreticorum inſania occinat. Cum enim una ſit Patriarcharum omnium de doctrina orthodoxa cum Romano conſenſio, una Religionis conſpiratio, tametſi innumeri, & per univerſum terrarum orbem diſperſi gregis neceſſitas ſuaſerit, eccleſiaſticam juriſdictionem, ejuſdemque regendi difficillimam operam ſpectatiſſimæ plurium virtuti committere; una ſemper manet, ubique ſemper eadem, & in fidei unitate perpetuò conſtans. Quamobrem Juſtinianus ajebat: [a] *In Sacroſancta Eccleſia communicare, in qua omnes beatiſſimi Patriarchæ unâ conſpiratione, & concordia fidem rectiſſimam prædicant.*

Chriſti Vicarius, Patriarcharum Princeps, alios in fidei unitate creavit, adhibuit Patriarchas.

Pro-

(a) *Novellâ* 115. *cap.* 3. §. 4.

III. Profectò fide sanctum est, in Ecclesia Catholica ex Divina institutione Hierarchiam institutam, qua Episcopi à Presbyteris, & hi à Ministris distinguantur. Voluit nimirum suprema Christi Domini providentia in Divino illo corpore, cujus caput est summus Pontifex, plurium membrorum discrimen, quò faciliùs suum ab unoquoque munus impletum esset, suum cuique, ubi indigeret, ab alio levamen prestò daretur. Verumtamen Divini ejusdem corporis membra longè illustrissima sunt veteres Patriarchæ, qui summo Sacerdoti proximi, sed longo intervallo proximi, præcellenti semper fuerunt dignitate. Horum nomen non nisi sub Chalcedonensis Concilii tempora usurpari ceptum, [a] ad quartum usque Christi sæculum prorsùs ignotum. At quoniam Romana, Alexandrina, & Antiochena sedes cæteris omnibus & amplitudine, & jurisdictione præibant, quæ rerum humanarum conditio est, ut augescente dominio, dignitatis ipsius

Ecclesiasticę Hierarchię caput summus Pontifex, illustriora membra Patriarchæ.

Patriarchę nomen Chalcedon. Concilii tēpore inductum.

(a) *Card. Norisius in Dissert. Histor. de Synodo quinta cap.* 10. *fol. mihi* 64.

ſius nomina amplificentur; trium illarum ſedium Epiſcopi Patriarchæ ſpecioſiorem titulum ſibi adſciverunt. Eàdem poſtea ratione Hieroſolymitanus Epiſcopus primùm, & deinde Conſtantinopolitanus, Patriarchæ fuere nuncupati. At qui poſtremum tempore locum inter Patriarchas occupaverat, poſt Romanum, ſupremam obtinuit dignitatem. Nec imprudenti Pontificum conſilio id permiſſum, quibus cordi potiùs erat tranquilla Eccleſiæ unitas, & ſchiſmatum averſio, quàm levis externæ politiæ deformitas: Adeo enim ſupra Bizantii ruinas Conſtantinopolis creverat, ut nova Roma appellari voluerit, & totius Orientalis Imperii caput exiſtimaretur, & eſſet. [a]

Patriaracha Conſtan. ſupremam poſt Romanum, obtinuit dignitatem.

IV. Patriarchales quatuor ſedes, quas indicavimus modò, Romanæ, quæ principatum inter omnes tenebat, propenſas, addictaſque, aliis omiſſis teſtimoniis, lex 431. Novellâ 115. perſpicuum reddit: Præſtans enim eſt, fon-

(a) *Card. Petra in Comment. ad Conſtit. Apoſtolicas tom. 1. In Conſtit. Unica D. Pelagii II. num. 5. fol. mihi* 83.

fontes, summasque Juris Civilis origines pro rei opportunitate delibare, ut Pontificum jura, arctissimo cum illo societatis vinculo copulata, clariùs intelligantur: *Sancimus*, verba sunt Imperatoris Constantini, agnoscentis quidem, sed non decernentis Romanæ Ecclesiæ Primatum, *ut Romana sedes principatum teneat tam super quatuor præcipuas sedes, Antiochenam, Alexandrinam, Hierosolymitanam, & Constantinopolitanam, quàm super omnes in universo terrarum orbe Dei Ecclesias.*

V. Nimio jam Vos desiderio efferri sentio, ut cognoscatis, quæ cuique Patriarcharum Diœceses fuerint attributæ, & jura omnia, quibus eorum dignitas exornabatur. Sed cum Diœcesium distributionem apud Berterium, Sirmundum, Petrum de Marca, Thomasinum, aliosque doctissimos viros facile sit invenire; nec instituti mei ratio omnes prosequi patiatur; vestræ sufficiat eruditioni recolere, Siciliam ad Romanum Patriarcham pertinuisse, quod inferiùs evincam; & Patriarcharum privilegia in his potissimùm rebus contineri, ut Episcopos sibi subjectos possint ad Sy-

Quatuor potissimùm Patriarchalia jura recensentur.

no-

nodum evocare; ut eorumdem ordinationes prosequantur; ut sententiam ferant de caussis majoribus; ut demum in Provinciis, eorum potestati demandatis, Canonicas leges exequi provideant. [a]

VI. Hæc cum omnibus sint explorata; tria nihilominus longiori disputatione prosequi, suisque momentis in partem omnem examinari necessum est, ut Oratio nostra ratione, & ordine ducatur. Primùm, an Sicilia, vel ab ipsius nascentis Ecclesiæ exordio, Romano Episcopo (posterioribus sæculis Patriarchæ etiam titulo decorato) paruerit? Alterum, an Sicilia, in universùm inspecta, ab vetustissima aliquando fuerit subjectione semota, atque ad illam Patriarchæ Constantinopolitani devenerit? Postremum (ut de totius Insulæ capite, atque Metropoli peculiaris inquisitio instituatur), an id Panormo contigerit?

In triplex membrum Oratio dividitur. Et 1. an primis Ecclesiæ sæculis Romano Patriarchæ Sicilia paruerit?

VII. Ut igitur ad illud, quod primo loco posuimus, accedamus, si Imperii notitiam, Romanorum Pontificum

Efficitur primum Imperii notitiâ, Pontificum Epistolis, & Synodis.

(a) *Graveson tom. 1. Historiæ Ecclesiast. Colloquio 6. fol. mihi 178. Edit. Venetæ.*

ficum Epiſtolas, & Synodos, ab iiſdem coactas, animo, & cogitatione diligenter percurramus, proculdubio erit, Siciliam primis Eccleſiæ ſæculis Romano Epiſcopo ſubjectam. Agite jam, Imperii notitiam altiùs revocemus. Univerſum Romanum Imperium antiquiſſimis temporibus in Orientem, & Occidentem fuiſſe tributum, res adeò eruditis omnibus nota, ut neminem veſtrum lateat. Oriens quoque in portiones quinque, à Majoribus noſtris Diœceſes appellatas, diviſus fuit, nimirum in Ægyptum, Aſiam, Pontum, Thraciam, & Orientem, peculiariter ita dictum. Occidens verò in ſeptem alias Provincias fuit diſtributus, in Africam nempe, Illyricum, Galliam, Hiſpaniam, Britanniam, atque in binas Italiæ Diœceſes, quarum alteram Italicam dixerunt, alteram Urbicariam. Porrò inter Urbicarias Diœceſes Siciliam fuiſſe connumeratam nemo poterit inficiari, qui lib. 2. Cod. Theodoſiani tit. 6. cap. 9. verba hæc perlegerit: *Non enim per Italiam tantùm, ſed etiam per Urbicarias Regiones, & Siciliam patrimonialium fundorum vires ſervandas eſſe perſpeximus*. Movet enim verò difficultatem

Imperii notitiâ liquet, Siciliā Italiæ Provinciam Urbicariam.

tatem hac ſuper lege Salmaſius, inquiens, quòd ſi Sicilia ſuburbicaria Diœceſis eſſet, ſeorſim à ſuburbicariis enumerari nullatenus debuiſſet. At Sirmundus, quantæ doctrinæ Vir! firmiſſimâ hac argumentatione eam omninò convellit: *Qua in parte comprehenſam Siciliam putas. Illyrico ne, an Africa? Ridiculum ſit ſuſpicari. Nam Italiæ Inſulam fuiſſe Siciliam quis neſcit. Sed cum Italiæ duæ fuerint Diœceſes, quæ hac in lege diſtinguuntur, Italica, & Urbicaria, ad Italiæ Diœceſim pertinuiſſe Siciliam, cum Italiæ Vicario non ſubeſſet, abſurdum eſt affirmare. Reſtat ergo, ut Urbicariarum numero comprehendatur.* Siciliâ autem inter Urbicarias Provincias conſtitutâ, conſequens eſt, quòd Romano addicta fuerit Patriarchæ. Ecquis enim vel tam imperitus, ut prorsùs ignoraverit, vel tam callidus, ut ſimulaverit neſcire, ſummum totius Catholici gregis Paſtorem, Epiſcopali Urbis Romæ dignitate fulgere, & Occidentis eſſe Patriarcham, ſub cujus proinde Imperio Urbicariæ Diœceſes? Ruffinum, ut omnis hæſitationi locus præcludatur, hac in re excipiamus: *Apud Alexandriam, ut in Urbe Roma, vetuſta*

Idem firmat Sirmundus contra Salmaſium.

Diœceſes Suburbicarias, & proinde Siciliã à Patriarcha Romano adminiſtrari, patet ex Ruffino.

consuetudo servetur, ut ille Ægypti, ut hic Suburbicariarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat. Quibus ex verbis id efficit Berterius, de Romano Imperio, & Ecclesiæ Politia, doctè admodùm, & eleganter differens: [a] *Ruffini igitur hæc sententia, Ægyptiacas Provincias ab Alexandrino administrari, ut Suburbicarias ab Episcopo Romano*.

VIII. Absit tamen, ut ex allato Ruffini testimonio id deducatur, certos à Concilio Nicæno fines Pontifici Romano assignatos fuisse, solam ei relictam Suburbicariarum Ecclesiarum curam, & quòd nihil in alterius Patriarchæ Provincia possit. Id enim Calvinismum redolet, & omninò falsissimum est; ut doctissimi Viri Cabassutius, [b] & latiori calamo Thomassinus [c] solidis argumentis demonstrant. Propterea Clar. Ludovicus Bail [d], Nicolai I. auctoritate fretus, Ruf-

(a) *In Pynthano Dyatriba* 2.*c*.3.*fol*.169.
(b) *In not. Eccles. Histor. & Concil. ad Nicænum Canon* 6.
(c) *In Dissert. in Concil. Dissert*. 14. *per totam*.
(d) *In Summa Concil. tom*. 1. *super Can*. 6. *Concilii Nicæni*.

Ruffinum ita explicandum esse concludit: Alexandrinum Patriarcham Ægypti, Lybiæ, & Pentapolis Provincias gubernare debere; quia Romanus Episcopus, ante omnem Conciliorum definitionem, tale regimen ei permittere consuevit. Quì ergo fieri poterit, ut ęqualitas inter Romanum, & Alexandrinum Episcopos ab impiis Novatoribus colligatur, si Alexandrini potestas ex Romano dimanat? Præsertim, ut verbis utar Hincmari Rhemensis, [a] *cum Apostolica Sedes omnium sit Ecclesiarum in toto Orbe terrarum Mater, & Magistra, cujus Pontifex Patriarcha est Patriarcharum, & Primas Primatum.* [b] Suos etiam Etherodoxi consulant asseclas; veritatem,

Recta Ruffini intelligētia adducitur.

Patriarcharum potestas à Pontifice Romano dimanat.

(a) *Part. 2. cap. 26.*

(b) *Legantur, quæ ad hanc materiam non parùm conducunt Illustriss. Dñi Matthæi Basile, Panormitanæ nostræ Ecclesiæ Archiepiscopi, doctissimæ, tantique Viri ingenio dignæ, nuper editæ, Dissertationes Critico-Dogmaticæ, præsertim verò 1. cap. 3. Faxit Deus, ut cætera eximii Præsulis opera quantociùs publicam lucem videant.*

tatem, quam propugnavimus, vel ab invito pectore erupisse cognoscent; Salmasius enim, [*a*] ut Eminent. Noris [*b*] sedulò notavit, de Romano Pontifice scripsit: *Nec primatem eum Italiæ specialem, nec Occidentis fuisse Patriarcham; sed eandem omnino & in Oriente potestatem habuisse olim, quàm in Occidente; eandem porrò, & in qualibet Occidentis provincia, quàm in Italia.* Quam, quæso, potestatem? Pontificiam profectò, *cui Dominus totius curam ovilis injunxit, cui se usque in finem sæculi minime defuturum, cui portas Inferi nunquam prævalituras esse promisit, cujus sententiâ quæ ligarentur in terris, solvi non posse testatus est nec in Cælo.* [*c*] Patriarchale igitur Occidentis jus (si scholasticis loquendi formulis uti licebit) Pontificiam potestatem haud specialibus Italiæ, vel Occidentis finibus interclusit.

Põtificię potestati universalis Ecclesiæ cura à Domino commissa.

IX. Ad Siciliam revertamur. Ecquid sanè rigidius, severiusque Criti-

ti-

(a) *Lib. 2. Eucharist. cap. ultimo fol.* 718.

(b) *In Dissert. Histor. de Synodo quinta cap.* 10. *fol. mihi* 65.

(c) *Simplicius Epist.* 4. *ad Zenonem.*

ticorum ſupercilium, Arte tamen ipsâ, cæteroquin laudabili, abutentium, ampliùs opponet, ut eam Romano Patriarchæ ſubditam declaret, ſi erutæ jam ex Imperii notitia rationi, alteram ex Romanorum epiſtolis adnectamus? Permultis autem Gregorii prætermiſſis, (temporis namque brevitati, nobis ad differendum permiſſæ, inſervire convenit), aliorum Pontificum ipſiſſima adducere verba ſatius reputavimus. Et Innocentius quidem Papa I., [a] ad Decentium ſcribens, ita loquitur: *Cum ſit manifeſtum in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam, & Siciliam, Inſulaſque interiacentes nullum Hominum inſtituiſſe Eccleſias, niſi quos Venerabilis Petrus, aut ejus Succeſſores conſtituerunt Sacerdotes.* Porrò Syracuſis, Tauromenii, Catanæ, Panormi, fortè etiam Agrigenti à Divo Petro, Meſſanæ à Divo Paulo, Leontini à Stephano Papa I. Epiſcopos conſecratos, Eccleſiaſque inſtitutas, & purior traditio comprobat, quam Patres noſtri firmiſſimè tenuerunt, à Majoribus ſuis acceptam laudis nomine reputantes, & infinitis Auctorum te-

Argumento epiſtolarum Pontificum Siciliæ decus magis evincitur.

Epiſtola Innocentii I.

Eccleſiæ Siculæ à Divo Petro, aliiſque Apoſtolis, & Pontificibus initia, & Epiſcopos habuere.

(a) *Epiſt.* 1.

testimoniis, siquis inficias iverit, evincere conaremur: Etenim verò *si non paucas Occidentis Ecclesias, à S. Petro fundatas, traditio antiquissima habet, atque illustriores in Italia Ecclesiæ eò sua initia retulerunt*, ut admonet Clar. Ludovicus Antonius Muratore; [a] cur celebrioribus in Sicilia Ecclesiis, *vel nullo synchrono Auctore* producto, eidem insistere traditioni interdicetur?

Præcipuas Italiæ Ecclesias à D. Petro fundatas traditione constat.

Multò enim magis, quàm Italiam Divo Petro Siciliam cordi fuisse, id argumento est, quod ex Baronio [b] eruitur, primùm huic, deinde illi Episcopos assignatos. En Historiæ Ecclesiasticæ Protoparentis testimonium: *Quinam verò fuerint, qui diversis temporibus ad diversas instituendas Ecclesias à Petro sunt missi discipuli, & ordinati Episcopi, licèt Scriptorum inopiâ obscurum penè remanserit; aliquos tamen, quos recensitos invenimus, hìc enumerasse voluimus. Habuit à Petro institutos Episcopos Sicilia Pancratium, Marcianum, Berillum, & Philippum.*

A D. Petro primùm Siciliæ, dein Italiæ Episcopi assignati.

Huc

(a) *In rerum Italicarum Scriptoribus tom.* 1. *par.* 2. *fol.* 312.

(b) Baronius *tom.* 1. *ad annum Christi* 46. *num.* 2.

Huc uſque de Siciliæ Epiſcopis loquitur. En modò illos Italiæ. *Capua Priſcum, Neapolis Aſpren, aliter Aſprenatem, Tarracina Epaphroditum, Equicolæ populi Marcum, alium tamen ab Evangeliſta, Ptolomeum Nepe, Romulum Feſulæ, Paulinum Luca, Ravenna Apollinarem, Verona Euprepium, Patavium Proſdocimum, Ticinum Syrum, Aquileja poſt Marcum, Hermagoram*. Quod verò ad reliquas Siculas Eccleſias attinet, Lilybætanam, Triocolitanam, Carinenſem, Thermitanam, Tyndaritanam, Mylanam Pontificum providentiâ extructas, vel una, quam mox adduximus, Innocentii epiſtola ſatis, ſuperque conficit; incompertum licèt adhuc remaneat, à quo potiſſimùm unaquæque ipſarum ſacroſancta exceperit initia. Conſonat Innocentio ſummus alter Pontifex Leo, Siciliæ Epiſcopos, in ſolemni Baptiſmatis tempore à Romanæ Eccleſiæ moribus digreſſos, hiſce increpans verbis: [a] *In quam culpam nullo modo potuiſſetis incidere, ſi unde Conſecrationis honorem accepiſtis, inde legem totius obſervantiæ ſumeretis, &*

Epiſtola Pōtificis Leonis.

C *Bea-*

(a) *Epiſt. 4. ad Epiſc. Sicil.*

Beati Apostoli sedes, quæ Vobis Sacerdotalis est Mater dignitatis, esset Ecclesiasticæ Magistra rationis. Tacitus præterire nequeo, quod de Syracusarum Antistite Nicolaus asseverat, ad Michaelem Imperatorem scribens: Namque, ut principis controversiæ nodus faciliùs dissolvatur, quàm maximè conducit: [a] *Volumus, ut consecratio Syracusano Episcopo à nostra sede impendatur, ut traditio ab Apostolis instituta, nullatenus nostris temporibus violetur.*

Epistola Pōtificis Nicolai.

Postremā Synodorum ratione Siciliā Pat. Romano paruisse cōvincitur.

X. Synodos modò, à Pontificibus convocatas, memoriâ repetamus, ut postremo capite Siciliam Romano Patriarchæ obnoxiam evincere possimus. Plures hæ cum fuerint ad Hæreticorum insanias evellendas, virilem se in pluribus Siciliensium Episcoporum zelus, ut evellerentur, omnibus patefecit. Conciliorum acta pervolvite: Eos Niceno, Constantinopolitano, Sardicensi, Ephesino, Chalcedonensi, Romano, aliisque permultis interfuisse pro comperto erit. Quid plura? Sub Martino, Agathone, Symmaco Synodos Romæ coactas, & in eis Siciliæ

Quot Conciliis Siciliæ Episcopi interfuerint.

(a) *Epist. 2.*

liæ Episcopos subscriptos legimus. Nonne suis è civitatibus anno quolibet discedentes, Urbem terrarum dominam invisebant, ut Pontificiis sanctionibus morem gererent? Id tamen temporis intervallo ad triennii spatium prorogatum, denuo ad annos quinque, postremò tandem ad annos tres.

Quale iidem Pontificibus præbuerint reverentiæ testimoniũ.

XI. Esto id certum sit, ut revera certum esse non diffiteor, vestrum aliquis submurmurat. Caussæ jam jugulum petas, propiùsque pedes conferre placeat. Accessit ne ad Patriarcham Constantinopolitanum aliquo tempore Sicilia? Ambigua res, perardua, tantisque difficultatibus obstructa, ut levi studio effici non possit: Repugnant enim exteris Siculi, hisque omnibus una, eademque opinio haud constat. Quamquam verò horum nonnullos admirati fuerimus ingenio, & acumine summo, eximiâ etiam eruditione; displicuit nihilominus, nec ullo potuimus modo probare, qua quisque fidentiâ se veritatem nactum, quod non ita facile est in humanis rebus, iis præsertim, quæ à nobis longo distant sæculorum intervallo, & arbitretur, & in apertum referat. Nul-

Secundum Orationis membrũ expenditur: An Sicilia Constan. P. aliquãdo fuerit addicta?

In pervetustis rebus inquirẽdis veritatis assecutio difficilis.

lum enim adeo firmum est testimonium, ratio nulla adeo plana, ut perspicuè significet, Siciliam à Romani Patriarchæ juribus semotam. Placet igitur Nobis, neutrius partis studio addictis, Criticorum hoc loco axiomati inhærere: Tale ab Historicis factum exprimendum, quale genuina, nullâque erroris labe fœdata monumenta describunt: Hæc si in concordiam, curis omnibus adhibitis, redigi non valeant, id satis sit, ut dumtaxat referantur.

Criticū axioma, ab Historicis servandum, approbatur.

XII. Itaque ut controversiæ initium ab illis capiamus, quibus id propugnare modis omnibus arrisit, Baronio [*a*], Gordono [*b*], Paggi [*c*], Alberto Piccolo [*d*], Amico [*e*], aliisque; quo peculiari tempore à Romano Patriarcha Sicilia discesserit, ipsis omnibus incertum. Namque alii id decernunt ad annum Christi 730., alii ad

(a) *Ad annum* 854. *num.* 9.
(b) *In Chronologia ad eundem annum.*
(c) *In Critica ad eundem annum.*
(d) *De antiquo jure Ecclesiæ Siculæ cap.* 24.
(e) *In Dissert. Histor. & Chronolog.*

ad annum 787., alii ad annum 854.; alii demùm ad annum 867. Rationibus autem, quæ sequuntur, pro caussa viriliter perorare reputant. Profectò Metrophanes, Smyrnensis Metropolita, in Concilio VIII. Æcumenico Constantinopolitano contestatur, Ignatium, præclarissimæ ejusdem Urbis Patriarcham, Gregorium, cognomento Asbestam, Episcopum Syracusanum sua è sede deposuisse, non quòd hæreticus fuerit, (Hæresiarcham enim Sicilia nullum peperit, aluit nullum), sed quòd perditæ audaciæ homo, multisque inquinatus criminibus esset: *Gregorium Syracusanum, qui Photium initiavit, Ignatius Patriarcha non propter hæresim exauctoravit, sed quòd homo flagitiosus videretur.* Præterea ex ejusdem Concilii actis deducimus Zacchariam Episcopum Tauromenitanum, & Euthymium Præsulem Catanensem à Sancto Methodio Patriarcha Constantinopolitano Ordinis dignitate insignitos. En, inquiunt, Syracusanum, Tauromenitanum, & Catanensem Episcopos à Romano Patriarcha divulsos? Quid namque est aliud, eos à Patriarcha Constantinopolitano seu depositos, seu ordinatos, quàm

Rationes affirmantium quatuor.

Prima, quia Patriarcha Cōst. jus dixit, Syracusanum Præsulem exauctorando.

Secūda, quia Patriarcha Const. Siculos Præsules initiavit, deposuitque.

ejus

ejus jurisdictioni addictos? His accedit, in septima generali Synodo, Constantinopoli habitâ, Siciliæ Episcopos interfuisse; cum cæteroquin ex Amici Messanensis conjectura, ii dumtaxat in supradicta Synodo Antistites subscripti videantur, qui Constantinopolitanæ Ecclesiæ subessent. Præ omnibus verò, Leonis dispositioni insistentes, quod ab ipsis complectitur, planius, atque illustrius efficere videntur: In ea enim, ut Metropolitæ omnes, à Romana Sede divulsi, connumerantur, tum etiam Syracusanus, cæterique Antistites Siciliæ. En illam: Avulsi à Diœcesi Romana, jamque Throno Constantinopolitano subjecti Metropolitani, & qui subsunt eis Episcopi, sunt hi: 1. Thessalonicensis, 2. Syracusanus, 3. Chorynthius, 4. Rhegiensis, 5. Nicopolitanus, 6. Atheniensis, 7. Patrensis. Sub Syracusano Siciliæ: 1. Tauromenitanus, 2. Messanensis, 3. Agrigentinus, 4. Croniensis, 5. Lilybæi, 6. Drepani, 7. Panormitanus, 8. Thermarum, 9. Cœphaludii, 10. Aletæ, 11. Tyndarii, 12. Melitensis, 13. Liparensis.

Tertia, quia Const. Synodo Siciliæ Episcopi interfuerunt.

Quarta, quia Leo Imperator Siculos Antistites à Sede Romana avulsos expressit.

XIII. At, quæso, amabo vos Auditores, paulisper animi pendeatis. Gravissi-

vissima res agitur de tanto crimine judicare, omnique semper æquitatis lege sancitum à Seneca [a] didicimus, partem alteram audire oportere, ut quod veritati consonum sit, statuatur. Quibus igitur responsionibus impositam sibi eluere maculam Sicilia, perpetuamque suam erga Romanum Patriarcham ostendere fidem conatur, modò audiatis. Asbestam Syracusanum Episcopum (ut ad singula ordine suprapoſito dicamus) à S. Ignatio Patriarcha Constantinopolitano depositum, libentissimè assentimur. At quid si Pirrus [b] adjiciat, quod & Caetanus probaverat, [c] id factum sanctæ Apostolicæ Sedis præcepto, quæ rem idcircò illi demandavit, quòd scelestissimum Præsulem aliâ ratione multare non liceret? Nonne probatissimum Joannis Filesaci Parisiensis Theologi [d] judicium sapientibus viris visum semper fuit, Patriarcham Constanti-

Objectis satisfit.

Gregorius Asbesta à Const., seu Põtificis Romani Legato, judicatur.

nopo-

[a] *In Medea.*
[b] *In Disquisit. de Patriarcha Sicilia* §. 7.
[c] *In Isagoge cap.* 38. *n.* 6.
[d] *De sacra Episcoporum auctoritat. cap.* 9. §. 6. *fol.* 103.

nopolitanum in omnibus Orientis Provinciis Pontificis Legatum ? Nonne Romanam ipsam sedem Constantinopolitanus Patriarcha edocere voluit, Antistitis depositionem, Legatis ad Leonem Papam missis, significans? Nonne & Leo ipse, & Pontifices Benedictus, Nicolaus, Adrianus eam approbavere?

XIV. Alteri quoque annuimus, quod est adductum, Zacchariam Tauromenitanum Episcopum, & Euthymium Præsulem Catanæ à S. Methodio Constantinopolis Patriarcha consecratos; quamquam de Sicula Historia optimè meritus Auctor renuat. [a] Veruntamen cum sine temeritate, tum sine ordinario in Siciliæ Præsules jure id Methodium tentasse, pluribus suadent. Et Chrysostomi quidem exemplum nonnullis Ecclesiis, extrà Provincias suæ ditioni suppositas, Episcopos consecratos dantis, sanctos alios Viros ad idem alliciebat, commovebatque. Cumque eà tempestate Siciliam Sarracenorum Tyrannidis vexasset, Concilii Constantinopolitani I., &

Sarracenorũ obsidione Siciliã vexatã, Cõst. Patriarcha Episcopos Siculos consecrare Cõciliorũ auctoritate, statuit.

[a] *Cajetanus in Isagoge cap.* 38. *fol.* 301.

& Chalcedonensis auctoritate se munitos, facilè induci poterant, ut crederent: Ex eisdem enim facultas Patriarchæ Constantinopolitano concedebatur, ut Episcopos consecraret, iisque præficeret Regionibus, quas Barbari obsiderent. Chalcedonense ipsum Concilium, mox laudatum, specialem quoque erga Zacchariam, & Euthymium rationem præbere potis erat: Horum enim Ecclesiæ, licèt Metropolitici honoris nomine decoratæ, nullos tamen suffraganeos habebant. Doctissimus autem Franciscus Hallier, [a] postquàm enarrat, Patriarcham Constantinopolitanum & Ponticæ, & Asianæ, & Thraciæ Diœcesis Metropolitanos ordinasse, subdit, id jus successione temporis ampliatum ad plures Episcopos ordinandos, qui Archiepiscopali dignitate, quamvis nullos suffraganeos haberent, donati essent.

Constăt. Patriar. plures, successione tĕporis, Archiepiscopos consecravit, nullos suffraganeos habentes.

XV. Ad Amici conjecturam quod attinet, solos Antistites, Constantinopolitanæ sedi subjectos, in septima generali Synodo intervenisse, id à vero lon-

D

[a] *De elect. & Sac. Ordin. p. 2. sect. 5. art. 4. §. 66. fol. 774.*

longiùs recedere vel inde satis probatum graves putant Historici, quòd secùs non œcumenica, sed localis illa fuisset. Quamquam autem hujus opinionis suspicionem Theodoro Studitę ejus ingerat epistola ad Arsenium, & doctissimo Syrmondo Calvinista le Faucher; Baronius [a] tamen Theodoro indignam epistolam illam judicat, quippe innumeris mendaciis refertam; & Causinus in Apologia, [b] Nycenam Synodum à Syrmondo inter universales connumeratam, loco addito, in notis nimirum ad Concilium Francorfordiense, demonstrat. Cum igitur certum sit, septimam Synodum fuisse generalem; ecquis in dubium revocaverit, in ea non solos Antistites Constantinopolitanæ sedi subjectos, sed & innumeros alios fuisse subscriptos? Et enim verò in ipso Concilii limine Romani Pontificis Legatos in eo præsedisse compertum est, aliosque Patriarcharum Antiocheni, & Alexandrini nomine transmissos. Quid quòd in nuper laudato œcumenico

Septima Synodus non localis, sed œcumenica fuit.

Falsa proinde Amici Messanensis conjectura: Synodo enim Siculi Antistites, tamquam Romano Pontifici subjecti, recenseri debent.

Con-

[a] *Ad annum 787. num. 98.*
[b] *Apud Bail in Summa Conciliarum tom. 1. fol. 380.*

Concilio Siculos Antistites loquendi initium fecisse deprehendimus? Inde porrò Amici conjectationem opposità corruere conjecturâ, arbitrari non immeritò quis posset: Cunctis enim tacentibus Siculos eloqui, primumque dicendi honorem obtinere; cur non verisimile sit argumentum, eos Patriarchæ Constantinopolitano haud subjectos, sed inter Romani Pontificis, & Legatorum asseclas recensendos?

XVI. Mitto reliqua, ne multa adducere videar, atque ad referendas adversùs Leonis testimonium, cui potissimùm Auctores, quos supra retulimus, fidebant, responsiones accedo. Profectò etsi Leonis ecthesim ad severioris examinis libram appendere nolimus (neque enim plura deficerent tam grandem auctoritatem enervantia); eam tamen Imperatorum Orientalium seu ignaviâ, seu superbiâ editam, celebres, ipsique etiam externæ gentis, Historici fatentur. Utrumque autem non obscurè comprobasse satis erit, si Pirro, Berterium adnectamus. Pirrus equidem, ut inani, fallacique permotos ratione eosdem Imperatores

Imper. Leonis dispositio apertis est referta mendaciis, ostētationēque redolet.

res ſuaderet, ſic habet: [a] *Poſtquàm Juſtinianus Imperator provocationes à Siciliæ Judicibus, quæ ad Præfectum Prætorio dari ſolebant, Quæſtori in Urbe Conſtantinopoli delegavit, pulſiſque Gothis, ad Imperium Orientale adjecit hanc Inſulam; facilè exiſtimari potuit, in eccleſiaſtica politia mutationem ſubſequi oportere. Sed ſtultè quidem*. Verùm ſi tantæ rei initia non Siculus, ſed Tholoſates, idemque eruditiſſimus Auctor explicet; cur non firmiter ſtatuemus? [b] *Sed miſſa faciamus omnia hæc delirantium Græcorum ſomnia, apud quos novæ Romæ majeſtas viam quidem aperuit ambitioni facilem; ſed mirum quantùm, ad auctoritatem hujus Patriarchatus amplificandam, adjumenti attulerit jacentis, & proſtratæ Italiæ calamitas. Quid enim ad Thraciæ Diœceſim pertinebat Sicilia Italiæ provincia?, quàm Patriarchæ Conſtantinopolitano ſubjectam ſcribit Balſamo. An quia Juſtinianus, cum excitatum in Italia belli incendium extingui*,

Notanda Berterii auctoritas.

(a) *In Diſquiſit.* 1. *de Patriarcha Siciliæ* §. 4. *num.* 6.

(b) *Berterius in Pintano Dyatribâ* 2. *cap.* 10. *fol.* 149.

gui, & influentes barbararum gentium copiæ ampliùs reprimi non possent; provocationes à Siciliæ Judicibus, quæ ad Præfectum Prætorio dari solebant; Quæstori in Urbe Regia delegaverat? Sed nihil ideo in ecclesiastica politia debuit immutari. Vidistin Italiæ calamitatem, execrabilemque viis omnibus amplificandæ potestatis ambitionem, Græcos impulisse, quò Siciliam Patriarchæ Constantinopolitano subjectam potuerint postulare? Quid verò ausa non fuit eorundem stultitia, ut Romanæ sanctissimæ disciplinæ ordinem inverteret? Romanos se Pontifices habendos, Sanctorumque etiam titulo salutandos magnificè ostentabant: Clericos, ecclesiastico Judice relicto, ad sæculare Tribunal condicere permiserant: Præsules in alienis Diœcesibus eorum privilegio Pontificalia exercere decreverant. Quod tandem est his simile, quòd impia eorum ambitio haud intentatum reliquit? Annam porrò Alexii Imperatoris filiam eò legimus dementiæ pervenisse, ut dixerit, antiquos Orientales Imperatores innumeris privilegiis Constantinopolitanam Sedem exornatam voluisse; & quod maximè irridendum est, Synodum

Græcorum Imperatorū ambitio, ut Romanæ disciplinæ ordinem perverteret.

dum Chalcedonensem *in primum Episcopatum illam evexisse, omnesque per orbem terrarum ei subjecisse Diœceses.* Nugæ, proculdubio nugæ, quin apertissima mendacia. Itaque, ut unde digressa erat, oratio revertatur, propter Siciliæ calamitatem, & Leonis imperitiam, atque ambitionem fieri potuit, ut Constantinopolitano Patriarchæ Siciliæ Diœcesis subjecta contenderetur: Qua enim tempestate Leo Imperator dispositionem illam edidit, Siciliam Sarraceni tenebant, destitutæque Urbes, nedum Sedes Episcopales. Quid enim si Alesam ante annos circiter DCCC. dirutam cum Caetano [*a*] dicamus? *Croniensem verò Ecclesiam* (ut Alberti Piccoli verbis utar [*b*]) *vel urbem neque fictam, neque pictam, neque scriptam unquam vidi apud veteres, vel neotericos Siciliæ descriptores. Vix in uno Diodoro in historia belli inter Dionysium, & Chartaginenses initi, Cronii nomen reperias. Atqui neque id nomen civitatis, aut oppidi, sed loci tan-*

Leonis dispositio Sarracenicæ tyrannidis tẽpore edita.

(a) *In Isagoge ad Historiam sacram Siculam cap.* 38. *num.* 6.

(b) *De antiquo jure Ecclesi. Siculæ cap.* 5. §. *neque tamen ignoro.*

tantùm fuit, *ut apertè docet Cluverius* [*a*]. Qua igitur fronte Ecclesias hasce Orientis sedi subjectas ejusdem Imperatores jactabunt, si vel nunquam extitisse, vel eorum sæculo ad solum æquatas demonstratur? Scilicet ut de aliis prudenti judicio ducamur, stultissimâ eorum ambitione cogitatum, Patriarchæ Constantinopolitano subditas inscribere; præsertim quòd in vetere provinciali Romano codice, in quo sedes Episcopatuum Christiani orbis descriptæ sunt, in Catalogo Metropolitarum, & Archiepiscoporum Patriarchæ Constantinopolitano subjectorum, nullus ex Sicilia Metropolitanus, aut Archiepiscopus memoratur. [*b*] Jure propterea Sanctus Hieronymus [*c*] cum græcas historias opposuisset: *non debemus*, inquit, *eorum auctoritati acquiescere*, *quorum mendacia detestamur*. Quæ cum ita se habeant, summâ equidem ratione motum crediderim Clar. Pirri, [*d*] Sicilia

In Catalogo Presulum P. Const: subjectorum nullus ex Siculis memoratur.

[a] *Sicilia illustrata lib. 2. cap. 13.*
[b] *Cajetanus in Isagoge c. 38. n. 6. f. 303*
[c] *In cap. 27. Ezechiel.*
[d] *In disquisit. de Patriar. Sicilia* §. 6. *num.* 10. *in fine*.

liæ nostræ decus, & ornamentum, cum post excussas hujusce materiæ intimas radices, nos omnes Siculos adhortetur, viribus omnibus pugnare, quò illatam ab aliis notam prorsùs evellamus. Mihi verò, si quod decernendi judicium inest, Vobiscum alloqutus videtur, qui summâ, qua valetis, eruditione vestram omnem operam in eo reponitis, ut graviora Siculæ Historiæ puncta ad Criticæ lancem expendentes, eam ipsam speciosiorem Posteris exhibeatis: *Postremò doctiores Homines Siculos oro, obtestorque, ut quam turpem notam ex Leonis dispositione, vel ei assuta appendice suscipimus intuentes, Ingenii laudem, industriamque in ea eluenda adhibeant; nec planè dubito fore, ut faciliùs multa reperiant, quàm ipse potuerim.*

Quod Pirrus optaverat, doctiores Siculi exequuturent.

XVII. Reliqui id est, ut quod tertio loco à nobis fuerat propositum, in examen deducamus: Quid nimirum de Panormo, totius Insulæ Metropoli, sentiant Historici? Porrò qui omnes, Siciliam à Romano Patriarcha divulsam, sustinent, de principe nostra Urbe peculiarem haud instituunt sermonem. Unus, quem ego legerim, Cantelius, licèt id affirmare non audeat,

Postremum cōficiturOrationis membrum.

deat,

deat, hærere nihilominùs anceps videtur: Parte enim 3. Historiæ Eccles. Metropolitarum Dissert. 5. cap. 3. n. 6. inquit: *Panormitanum semper Romano Patriarchæ paruisse, scribit Pirrus. Verè, an secùs postea viderimus*. At cap. 5. n. 8. sic habet: *Ubi Sarraceni Siciliâ potiti sunt, sive quòd Panormus Insulæ totius* Caput *esset, sive quòd potior esset auctoritas, quàm cæterorum, Archiepiscopi nomen vel à Patriarcha Græco obtinuit, vel ascivit ipse sibi*.

Qui Siciliã Patriarchæ Constantin. subditã tuẽtur, de Panormo silent, uno Cantelio hæsitante.

XVIII. Verùm ab hac unius Cantelii dubitatione tria gravissima Siculæ Historiæ lumina, Roccus Pirrus, Franciscus Scorso, & Antoninus Mongitore discrepant omnino: Namque his placuit Panormitanam Civitatem Romano Patriarchæ semper paruisse. Equidem Pirrus [a] gravem ex Gregorii VII. Epistola, ad Alcherium Panormitanum Archiepiscopum missâ anno 1083., conjecturam desumit: In ea enim legitur: *Apostolicâ auctoritate confirmamus eidem Panormitanæ Ecclesiæ, & per eam tibi quidquid dignitatis, & antiquitatis tenuisse probatur;*

Cantelii hesitationi Põtificum auctoritate respondetur.

Epistola S. Greg. VII.

E *item*

(a) *In Disquisit. de Patriarcha Siciliæ* §. 5. *num.* 8.

item omnes eos suffraganeos Episcopatus, vel si qui, destructis illis, in eorum locum statuti sunt, vel, opitulante Domino, statuentur, ut in præfatæ tuæ Ecclesiæ pristinam redeant potestatem. Cum verò reliquos Siciliæ Episcopos Pontifex ita non fuerit allocutus; & ideo cum consueta loquendi formula usum, authumare nullus meritò possit; gravi propterea fundamento Pirrus contendit, summum totius Ecclesiæ Pastorem Metropolitanæ titulum illi Ecclesiæ nunquam fuisse concessurum, cujus Antecessores à sua se subjectione demovissent. Ipsissimam autem Gregorii Bullam sedulò perpendenti nimis asperè locutus doctissimus Christianus Lupus videri posset, [a] ubi Panormitani Archiepiscopatus antiquitatem *fumum*, & *paleam* dixit; id subjungens, *Nortmannorum opus esse, qui ejectis Græcis* (Sarracenis dicendum) *Metropoliticam dignitatem Syracusis Panormum transtulerunt*. Quid enim si antiquitatem, & dignitatem insignem adeò Archiepiscopatum tenuisse apertissimè Gregorius declaret? Fumus

Panormitani Archiepiscopatus antiquitas haud fumus, & palea contra Lupum.

(a) *In Dissert. de septima Synodo generali cap. 8.*

mus ne erit, & palea? Quid si synchronus scriptor Gaufridus Malaterra [a] id Posterorum memoriæ testatum reliquit, cum Cathedralem Panormi Ecclesiam Principum Nortmannorum operâ anno 1071. reconciliatam asserens, subdit, *quæ antiquitùs Archiepiscopatus fuerat*; Nortmannorum ne opus dicetur? *Neq; Nortmannorum opus, adversus eundem.*

XIX. Sed redeamus in viam. Rationi, quam Pirrus proposuit, alteram subnectit, Can. Antoninus Mongitore[b] (cujus profectò clarissimum nomen ita apud universos totius Europæ litteratos viros latè circumfluit, ut neque nostris, neque alienis crescere laudibus, ampliùs queat) ex Privilegio Willelmi anno 1169. Panormitanæ Ecclesiæ concesso: *Hujus modus consecrationis, ut videlicet prædictus Panormitanus Archiepiscopus, à suffraganeis suis Episcopis sacraretur, tantò gratior, & acceptabilior nostro animo cupienti resedit, quantò antehàc Panormitanę Ecclesię fuit omninò ignotus.* Quæso enim: quid est aliud, Pa- *Privilegium Vuillelmi.*

(a) *Histor. lib. 2. cap 45. in Edit. Mediol. Scriptor. Italiæ t. 5. f. 574. lit. A.*
(b) *In Præfat. ad Bullas, & Privil. Panorm. Eccles. fol. xxxvj.*

normitanæ Ecclesiæ prorsùs ignotum esse, ut ejus Archiepiscopus à suffraganeis suis sacraretur, quàm eos omnes, qui ad tantæ dignitatis fastigium fuerant evecti, fuisse semper à Romano Pontifice consecratos? Rem adhuc ambiguam habetis? Sed en tertium doctissimi, eruditissimique P. Francisci Scorso [a] argumentum, quam modò attuleram conjecturam, clarissimo ejusdem Pontificis testimonio comprobans. Willelmus Siciliæ Rex ab Alexandro III. Pontifice contenderat, ut Panormitanus Archiepiscopus Gualterus ab tribus Episcopis Panormi consecrationem reciperet; & Alexander ita rescripsit: *Licèt in memoria nostra non existat, ut aliquis Prædecessorum præfati electi Gualterii unquam fuerit, nisi à Romano Pontifice consecratus, considerantes, &c. concedimus consecrari, ita tamen quòd hoc non debeat in posterùm in exemplum adduci*. Itaque si supra laudati Privilegii formulas cum hujusce epistolæ conferre animus erit, Panormitanos Siciliæ Antistites à Romano Patriarcha nullo tempore

Epistola Alexād. III.

pore

(a) *In Prolægomenis ad Theophanem Cerameum Proœm.* 2. §. 7.

pore sejunctos, rationibus haud contemnendis evinci potest.

XX. Hæc profectò sunt, quæ virium mearum imbecillitas in tam perplexa, difficilique materia ante vestros oculos ponere conata est. Meam exponere sententiam Siciliæ, Patriæque carissimæ faventem consultò supersedi. Quamvis enim summopere laudandus sit, curam omnem, diligentiamque in eo impendens, ut Patriam tueatur, multòque magis qui ejusdem eluere maculas contendit; id tamen industriæ vestræ, studio, doctrinæ committere consultius putavi: Tanto enim in difficilioribus materiis ad Critices lancem librandis, extimandisque judicio polletis, ut quod in supraposita Dissertatione verum sit, quod dubium, quod tandem verisimile facili negotio decernere valeatis. Mihi autem finem imponenti, id satis erit, ut repetam, quod Origenes in Homiliis super Hyeremia cap. 72. scriptum reliquit: *Hæc ante me alii dixerunt, & quia non improbo interpretationem eorum, eadem profero, non quasi ipse reperim, sed jam reperta referens, ut mihi pariter, vobisque conducat, si tamen quæ dicta sunt, intentus animus excipiat.* Dixi.

F I N I S.

ACADEMIÆ APPROBATIO

Sit Cenſor Clar. Academicus noſter

D. ANDREAS NOTO

FRANCISCUS GASTONE P.

Illuſtriſſime Domine.

NIL continet præſens Diſſertatio, quod Academiæ ſtatutis ullatenus adverſetur; imò in ea Clar. Auctor ita eruditionem cum concinnitate conjungit, ut non vulgarem ſibi gloriam comparaſſe videatur. Quapropter dignam judico, ut in noſtris Comitiis recitetur, & ad communem utilitatem typis tradatur, ſi iis, ad quos ſpectat, videbitur. xxiv. Novembris 1733.

Andreas Noto Academiæ Cenſor.